



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Perfectionibus Moribusque Divinis Libri XIV

Lessius, Leonardus

Antverpiae, 1620

Liber VI. De Sapientia Dei, & simul de Veritate & Vita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46817)

DE
 PERFECTIONIBVS
 MORIBVSQVE
 DIVINIS
 LIBER SEXTVS,
 DE SAPIENTIA DEI
 ET SIMVL
 DE VERITATE ET VITA.
 CAPVT PRIMVM.

In Deo esse perfectissimam sapientiam.

S. Tho. 2. 2.
 9. q. 2. 2.

*Sapientia
 Dei.*

SAPIENTIA proprie est cognitio veritatis, non qua-
 uis, sed per supremas & primas causas. Qui plura
 nouit experientia, vel ex effectis, vel ex causis propin-
 quis & creatis, dicitur quidem experiens, gnarus, do-
 ctus, multiscius, non tamen proprie *sapiens*: quia al-
 tissimas causas non contemplatur, neque ex illis notitiam suam
 ducit. In Deo igitur est sapientia, quia omnia nouit per supremas
 causas, nimirum per notitiam essentiae suae, quae est omnium suprema
 causa efficiens, finalis, exemplaris & fundamentalis. Compre-
 hendendo enim essentiam suam, hoc ipso ex vi illius comprehen-
 sionis cognoscit distinctissime & clarissime omnia possibilis (sub
 quibus continentur etiam omnium possibilium complexiones)
 quae

quæ nimirum ipse per se facere potest; & illa comprehendendo, cognoscit ulterius omnia in particulari, quæ singula illorum facere vel pati possunt, & in quibus deficere. Neque hoc solum, sed etiam quid singula in quavis occasione essent factura, si talis vel talis occasio daretur. Neque in his sistit, sed etiam clarè intuetur quid re ipsa in omnem æternitatem sit euenturum, quibus momentis, quibus locis, quibus occasionibus, & aliis circumstantiis. Ratio est, quia in Deo cognitio abstractiua possibilium cum sit infinitæ perfectionis & efficaciam in attingendo obiecto, hoc ipso quo obiecta illa re ipsa sunt futura, fit intuitio existentium, nec opus est alia vi aut conatu. Vnde patet, omnem intuitum futurorum esse ex vi comprehensionis essentiæ, nec aliud requiri, quàm positionem obiectorum. Tunc enim cognitio quæ prius seu in priori signo rationis erat abstractiua, transit in intuitiua ex vi suæ perfectionis. Docet hoc apertè Dionysius De diuin. nomin. cap. 7. *Non enim, inquit, ex rebus ipsis res discens, nouit eas diuina mens; sed ex seipsa, & in seipsa, secundum causam, omnium scientiam & notionem & essentiam præhibet, & antè comprehendit: non singulis secundum cuiusque speciem intendens, sed secundum vnicam causam, complexionem cuncta sciens & continens, sicut & lux secundum causam in seipsa tenebrarum notionem anticipat, non aliunde quàm ex luce tenebras noscens.* Hic manifestè tradit, Deum ex vi cognitionis essentiæ tamquam causæ omnium, scire cetera. quod confirmatur verbis sequentibus: *Seipsam igitur diuina sapientia noscens, sciet omnia; materialia sine materia, & indiuisè diuisibilia, & vnicè multa; ipso vno omnia & cognoscens & producens. Nam si secundum vnā causam Deus omnibus esse impertit, secundum eandem vnicam causam sciet omnia, tamquam ex se existentia, & in seipso antè præexistentia.* Et paulo post: *Non habet itaque Deus peculiarem scientiam sui, aliam verò communem res omnes complectentem. Ipsa enim omnium causa seipsam cognoscens, nullo modo ea quæ ab ipsa, & quorum causa est, ignorabit. Hac igitur Deus res cognoscens, non scientia rerum, sed scientia sui ipsius ipsas nouit.* Confirmantur hæc alia ratione. Sicut enim essentia diuina in ratione boni se habet ad voluntatem, ita in ratione veri seu intelligibilis se habet ad intellectum. Sed voluntas diuina nihil vult, nisi ex vi amoris essentiæ: ergo intellectus quoque nihil intelligit nisi ex vi cognitionis essentiæ. Est etiam id multò præstantius, & sublimius, nimirum vt essentia diuina, non solum quatenus est vis intelligendi, & rationem potentiæ subit, sed etiam quatenus habet rationem obiecti,

iecti,

iecti, sit principium omnis cognitionis, & extendat se ad omne intelligibile, & quidquid villo modo veri rationem obtinet.

Dicit aliquis, Quomodo Deus cognoscit omne verum in essentia sua, seu ex vi cognitionis suæ essentiæ, cum plurima sint vera, quorum ipse non est causa: vt sunt omnes complexiones liberi arbitrij cum peccato in hominibus & dæmonibus: vt, quod Petrus negabit Christum, quod Iudas illum prodet, quod Antichristus persequetur Ecclesiam, & faciet se adorari. Talium enim conjunctionum & complexarum veritatum ipse non est auctor. Quo modo ergo cognoscit eas in se tamquam in causa?

*Quo modo
Deus cogno-
scat res crea-
tas in sua
essentia.*

Respondeo, Quatuor modis intelligi posse Deum illa cognoscere in essentia sua tamquam in causa. Primò, Tamquam in causa necessaria, ex qua illæ complexiones secundum esse actuale necessariò sequantur. Et hoc modo falsum est, cum nulla creatura actu existens, hoc modo cognoscatur in essentia diuina; tantum abest, vt peccata sic in illa cognosci possint. Secundò, Tamquam in causa libera, omnia futura in particulari liberè prædefiniente & decernente. Qui modus etsi quibusdam placuerit, nulla tamen ratione est admittendus, ne cum hæreticis Deum facere videamur auctorem omnium scelerum. Si enim Deus vult omnia fieri, quæ fiunt in mundo, eaque prædefinit & decernit vt sic fiant, quomodo non verissimè, propriissimè & efficacissimè est auctor omnium operum malorum? Addo, si hoc tantum modo Deus cognosceret futura, non cognosceret illa intuitiue vt sunt in seipsis in rerum natura; sed solum abstractiue vt sunt in sua causa, nempe in decreto diuino; quod non est consentaneum summæ perfectioni diuinæ cognitionis. Tertiò, Tamquam in causa libera volente illa permittere, sine cuius permissione illa fieri non possent. Et hoc modo concedi potest, Deum omnia peccata absolutè futura cognoscere in decreto permissiuo suæ voluntatis, posita conditionalium scientia, quam habet ex vi suæ essentiæ. Quartò, Tamquam in causa partim necessaria, partim libera. Qui modus non multum distinguitur à tertio; sed ponitur à nobis maioris explicationis gratia. Deus enim ex vi suæ essentiæ ante omne decretum liberum necessariò omnia possibile, & omnes possibile complexiones, & omnia ex hypothesi futura cognoscit: qua cognitione posita, accedente decreto libero quo vult creare causas liberas, & permittere eas suis motibus in talibus circumstantiis, statim in suo illo decreto effectiuo & permissiuo videt, quid absolutè sit futurum; idque prius ratio-

ratione, quàm videat effectum in se existentem. Et quia hæc visio est infinitæ efficacæ in attingendo obiecto, extendit se etiam ad ipsum effectum, ut in se existit. Hoc sensu Deus dicitur omnia cognoscere in se tamquam in causa; nimirum tamquam in causa propinqua vel remota, decernente vel permittente. Nam in se, tamquam in causa propinqua, cognoscit omnem naturam rationalem possibilem; accedente decreto creandi, videt omnem existentem & futuram. In illa videt quidquid ipsa potest facere; & accedente decreto permissiuo, videt omnia quæ ipsa est factura.

CAPVT II.

Aliquot considerationes, ex quibus magis elucescit infinita vis diuina sapientia.

8 **I**NFINITA vis & amplitudo diuinæ sapientiæ ex multis colligi potest; ac primùm ex structura corporum in viuentibus, præsertim in animalibus, in qua innumera simul consideranda sunt ipsi opifici. Docet enim Galenus libro De formatione fetus, esse supra sexcentos musculos in corpore humano, & in singulis esse decem scopos seu condiciones ad decem diuersos fines necessarias. Nam, inquit, quisque ipsorum & figuram habet decentem, & magnitudinem, & caput, & finem, & positionem, & nerui venæq; & arteria inpositionem, ita ut pro magnitudine & loco inpositionis hæc ipsa quadrent. Vnde concludit, in solis musculis esse sex millia scoporum seu finium, quorum in formatione habenda ratio, præter ea quæ pertinent ad singulorum temperamentum. Idem, inquit, in ossibus est, quæ plura sunt ducentis; nam in his singulorum scopi plures sunt quàm quadraginta. vnde eorum omnium scopi plusquam octies mille. Eadem ars & circa omnia viscera existit, & omnino circa quamlibet partem, adeò ut si quis structura scopos numeret, in aliquot myriades eorum multitudo excrescet. Hos itaque scopos haudquaquam ipse crediderim citra sapientissimum eundemq; potentissimum opificem factos esse. Hæc ille, & Optimè. addit tamen miser: Quis vero hic sit, pronuntiare non audeo, per consilij inopiam obmutescens. nimirum hoc est euanescere in cogitationibus suis. Quis enim est sapientissimus & potentissimus Opifex præter Deum? Sed si considerentur omnes nerui, omnes arteriæ, omnes venæ, & horum principia & administratio, conformatio, deductio, situs, connexio, vsus, & cetera; inueniemus innumerabi-

A D. Viri-
go ponun-
tur 284. ab
aliis etiam
plura.

K lem

lem multitudinem scoporum & finium in vno corpore humano. Hæc omnia perfectissimè & distinctissimè ante oculos habuit, non solum dum hominem formaret, sed ex omni æternitate. Iam verò quot sunt animalium & plantarum species? In singulis autem speciebus præne omnia illa consideranda quæ in corpore humano, idque secundum proportionem & modum cuiusque speciei. Aliter enim illa omnia se habent in equo, aliter in boue, aliter in oue, & sic in ceteris. Deus autem non seorsim quæ ad singulas pertinent, sed simul omnia quæ pertinent ad omnes rerum species, distinctissimè & perfectissimè excogitavit, consideravit, & expendit ab æterno; & tempore præstituto, sicut conceperat, fecit. Quod aperte indicat infinitam amplitudinem & vim mentis illius; ut quæ tam innumerabilia simul tam distinctè, tam perfectè, tam potenter conceperit & produxerit. Vnde S. Augustinus lib. 11. De ciuitate cap. 10. *Neque enim multa, sed vna sapientia est, in qua sunt immensi quidam atque infiniti thesauri rerum intelligibilium: in quibus sunt omnes inuisibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium & mutabilium, quæ per ipsam facta sunt; quoniam Deus non aliquid nesciens fecit. ex quibus infert Augustinus, quod iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset; Deo autem nisi notus esset, esse non posset: quia Deus per sapientiam suam est auctor mundi, qui sua specie externam nobis sui notitiam ingerit.*

Singula perfectissimè facta.

Psal. 110.

Virtus seminis.

Secundò considera, singula tam perfectè, tam concinnè, tanta 10
proportionem in singulis animantibus & plantis esse formata, ut
omnis sapientia hominum pariter & Angelorum, ne minimū quidem
vel in musca possit emendare. Omnia enim sunt in extremo
perfectionis & pulchritudinis intra speciem suam; nisi fortè ratione
materiæ, vel concursus causæ extrinsecæ quippiam sit impeditum
vel distortum. Vnde etiam de utris minimis operibus dici
potest cum Propheta: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.* Itaque & hoc infinitæ sapientiæ est signum. Si enim
per infinitam sapientiam excogitata non essent, posset aliquid in
aliqua re perfectius & concinnius concipi.

Tertiò considera, totam illam & incomprehensibilem varietatem, 11
quæ est in corporibus animalium & plantarum, quod ad figuram, colorem, situm, partium connexionem, proportionem, temperamentum attinet, delitescere in virtute seminis; ad eò ut si quis naturam seminis mente comprehenderet, in ea totam cerneret animalis constructionem. Stupenda profectò potentia

tentia & sapientia, quæ talem vim (cuius opus est tantæ varietatis & sapientiæ) excogitare, creare, & rei insensibili imprimere potuit. Nihil æquè in rebus creatis mirantur Medici, qui huius operationes exactiùs perpendunt.

12 Pari modo in ipsa quoque forma seu anima latent rationes singulorum quæ cernuntur in corpore. Ideò enim in corpore animantis debent esse tot partes talis temperamentis, figuræ, magnitudinis, situs, coloris, odoris, tali ordine, connexionione, proportione, quia anima est talis. Itaque in simplici illa forma latent innumerabiles illius varietatis rationes, veluti in causa finali & exemplari, in semine tamquàm in causa efficiente. Necesse igitur est, formas illas seu animas esse res admirabiles, & infinities admirabiliorem qui illas finxit Opificem. Hoc modo ex singulis rebus creatis exurget mens in Deum.

Conditio anima cunctilibet.

13 Quartò considera admirabilem vim sensuum exteriorum, & in primis oculi, cuius est tanta celeritas, ut in puncto temporis plusquam 80. milliones milliarium conficiat, (tantum enim & amplius distant stellæ fixæ à terra, iuxta Astronomos,) tanta, verò capacitas, ut totam cæli medietatem comprehendat. Imò, si non obstaret terra, posset complecti & intra se condere totum mundum. Tam verò est arcana eius operatio, ut hætenus nemo mortalium illam assequi potuerit.

Sensus exteriori.

14 Quid dicam de potentiis spiritalibus, intellectu, memoria, voluntate, quarum vis quodammodò est infinita? Neque enim vlla res, creata, nec ipse quidem mundus totus eas implere potest. Quidquid enim est in mundo, simul ab intellectu distinctè intelligi & comprehendere potest, neque vnus mundus illum impleuerit, sed simul decem alios posset amplissimo sinu suo complecti, si esset. Loquor de intellectu lumine gloriæ illustrato. Æqualis capacitas est memoriæ & voluntatis; quia intellectus & memoria re non distinguuntur, & voluntas intellectui est commensa.

Intellectus.

15 Considera quintò, Deum omnia quæ sunt in mundo vsque ad minutissimas partes, figuras, colores, qualitates, conditiones, situs, motiunculas, momenta, modosque omnes & habitudines distinctissimè & perfectissimè intueri, & in numero habere; nimirum omnes vermiculos, omnes muscas, animalia omnia & partes singulorum, omnia gramina, omnes herbas & plantas, omnia silvarum folia, omnes pilos animantium, omnes arenas littoris & deserti, omnes guttas maris, omnes stillas pluuiarum, omnes crispationes

Deus omnia distinctissimè cognoscit.

tiones vndarum, omnes foliorum motus, omnium mensuras, distantias, congruentias, discrepantias, situs, modos, tempora: omnes hominum & Angelorum cogitationes, omnes affectus, omnes intentiones presentes, præteritas, futuras, & momenta singulorum. Hæc omnia semper distinctissime & clarissime intuetur, penetrat, comprehendit, idque aded citare & perfecte, ac si tota vis mentis illius in vnum dumtaxat illorum intenta esset. Quod 16 sane diligenter est perpendendum; ne quis putet aliquid illum latere posse, aut minus perfecte esse cognitum, in tam immensa rerum multitudine; sicut impij homines solent existimare, in quorum persona dicitur Iob 22. *Quid enim nouit Deus? & quasi per caliginem iudicat: nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines celi perambulat.* Hos monet Sapiens Ecclesiastici 16. *Non dicas: A Deo abscondor, & ex summo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoscar, quæ est enim anima mea in tam immensa creatura? Ecce calum, & celi calorum, abyssus, & vniuersa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commouebuntur, montes simul & colles, & fundamenta terræ, cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur.* & Ecclesiastici 23. iuxta textum Græcū: *Omnis homo qui transgreditur lectum suum dicit in corde suo: Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes operiunt me, & nemo me videt, quid vereor? peccatorum meorum non memorabitur Altissimus: & oculi hominum timor eius. Et non cognouit quod oculi Domini decies millies clariore sole, inspicientes omnes vias hominum, & intuentes in absconditas partes.* Neque id mirum videri debet. Sicut enim essentia ipsius & potentia in singulis punctis loci & spatij est tota & tam perfecte, quàm si tota immentitas ad punctum esset contracta: ita etiam vis intelligendi & sapientiæ ipsius tam perfecte & efficaciter versatur circa res singulas, ac si vni soli intenta esset. Lumen enim sapientiæ ipsius non solum est infinitum extensiuè, nimirum quia se extendit ad infinita obiecta: sed etiam intensiuè, vt circa singula obiecta habeat actum infinitæ perfectionis & claritatis.

Tam perfecte cognoscit & videt singula, quàm si vni soli rei intentus esset.

Considera sextò, illum non solum ea quæ re ipsa sunt, fuerunt, & erunt, modo prædicto cognoscere, sed etiam infinita alia, nimirum, omnia illa quæ ipsius omnipotentia potest creare. Itaque simul intuetur infinitos mundos in seipso, huic nostro similes, & infinitos dissimiles; infinitas rerum species sub singulis generibus, & infinita indiuidua sub singulis speciebus, imò infinitorum indiuiduo-

uiduorum infinitas, vt ita dicam, replicationes. Perpende quid sit infinitum, & quotuplex hic sit infinitum. multitudo enim specierum in generibus singulis est infinita; id enim modò suppono tamquam verisimilius: multitudo indiuiduorum in singulis speciebus est infinita, multitudo replicationum singulorum indiuiduorum infinita. Quis ista mente comprehendens non obtusepescat, & summa cum reuerentia diuinæ sapientiæ in omnibus se subiiciat? Adhuc penetrat vterius ad omnia opera singulorum, cognoscens quid singula possint facere, quid pati; quæ rursus infinita sunt, spectata diueritate obiectorum, agentium, patientium, applicationum, auxiliorum, dispositionum.

18 Sed neque in his operibus, possibilibus tistit, sed incomprehensibili modo penetrat vterius, cognoscendo non solum quæ fieri possunt à singulis, sed etiam quæ reipsa fierent à singulis, quauis hypothesi facta, quauis occasione proposita. hæc tamen occasiones sunt infinitæ, inò infinities infinitæ: nam vel ab vno homine possunt mihi infinitæ occasiones dari, & ipse ex parte subiecti possum infinitis modis affici & disponi. Deus autem omnes illas distinctissimè & perfectissimè videt, & simul vterius penetrat quædam in singulis libertas mea esset amplexura, quid factura. Idem dicendum de omnibus & singulis hominibus & Angelis existentibus pariter & possibilibus. Cernit igitur non solum omnia possible, & omnes operationes possible omnium possibile, & omnes operationes reipsa in tota æternitate futuras, sed etiam omnes operationes, quæ qualibet occasione ex infinitis occasionibus oblata essent futuræ. Nihil magis stupendum, aut quod magis immensam vastitatem, amplitudinem, profunditatem, & infinitam efficaciam diuinæ intelligentiæ & sapientiæ declaret.

19 Considera septimò, & recollige ordinem obiectorum diuinæ mentis & sapientiæ iuxta nostrum modum intelligendi. In primo igitur signo rationis, fertur in diuinam essentiam & personas diuinas: in secundo, in omnia possible: in tertio, in omnia opera possible rerum possible: in quarto, in omnia futura ex hypothese: in quinto, in omnia futura absolute. Vnde meritò dictum à Propheta: *Sapientie eius non est numerus.*

20 Octauò considera, quòd diuinus intuitus ferri possit in futura quæ nondum sunt, id non prouenire ex eo quòd omnia sint præsentia æternitati: hæc enim præsentia, vt est prior cognitione, nihil potest esse aliud quàm realis coëxistentia cum æternitate. At

Ordo intelligibilium.

Pl. 146.

Coëxistere æternitati.

qui res futuræ non coëxistunt æternitati antequam existant in se-
 ipsis secundum esse suum creatum. Coëxistere enim alteri, suppo-
 nit existere in se tamquam quid prius. Vnde non coëxistunt æter-
 nitati, nisi suis temporibus, dum singula suo ordine promuntur, &
 suas essendi vices subeunt. Quare hæc coëxistentia nihil iuuat ad
 illa intuenda tamquam præsentia priusquam fiant, & multò minùs
 ut videantur ab æterno: oportet enim illa non solum coëxistere
 æternitati, sed coëxistere ab æterno, ut ab æterno tamquam præ-
 sentia videri possint. Nec obstat, quòd æternitas ambiat totum 21
 tempus: quia non ambit, simul toti tempori coëxistendo: coëxi-
 stit enim illi successiuè, non successione sui, sed temporis. Allabun-
 tur enim noui dies prioribus præterlabentibus; & dum hic dies
 præsens est, coëxistit æternitati secundum aliquid indiuisibile sui;
 sed cras non coëxistit, sicut, nec heri coëxtitit: sicut in flumine ad-
 labuntur nouæ aquæ, & tangunt rupem flumini insidentem, sed
 statim transeunt, nec redeunt amplius. Totus rerum cursus ab ini-
 tio mundi vsque ad finem est instar fluminis, sub æternitate, tam-
 quam sub rupe quadam immobili, transeuntis. Itaque sicut rupe
 illa non simul coëxistit nec simul tangit omnes fluminis partes, sed
 successiuè, sic nec æternitas simul rebus omnibus coëxistit, sed
 successiuè, prout illæ successiuè esse accipiunt.

Pari modo id etiam non prouenit ex eo, quòd Deus ab æterno 22
 de omnibus statuerit quæ successu temporum fiunt, quasi hoc
 suum decretum cernens, in illo cernat res omnes futuras. Non
 enim omnia ab æterno decreuit efficaciter volendo ut sic fiant, sic-
 uti fiunt: alioquin videretur esse auctor omnium malorum, & in-
 ducere simul fatum indeclinabile. Nisi autem decretum sit effi-
 cax, in eo solo cerni non potest an res sit futura, vbi, quando, quo-
 modo, &c. Deinde illa cognitio non erit intuitiua, sed abstractiua,
 & quasi coniecturalis: sicut cum quis nouit aliquid tali tempore
 vel loco euenturum, ex eo quòd sciat se ita statuisse, & à nemine
 impediendum. Hæc enim cognitio est imperfecta, & similis conie-
 cturæ. De eadem tribuitur à Scripturis perfectissima cognitio,
 nempe visio & intuitio. *Omnes, inquit, vias meas prouidisti, & Intel-*
lexisti cogitationes meas de longè, semitam meam & funiculum meum
inuestigasti. Inuestigasti, perfectissimam notitiam indicat, qualis
post longam inuestigationem haberi potest. At non opus erat ma-
gna inuestigatione, si ex eo tantum sciat, quòd decreuerit ut ita
fiat. vnde ineptè Scriptura inuestigationem ei tribueret.

Con-

Psal. 138.

23 Considerandum igitur est, id prouenire ex infinita efficacia ^{Perfecta om-} oculi diuini, cuius radius se extendit per totum tempus, tangens ^{nium cog-} & incurrens in omnia, quæ in aliqua parte temporis existunt. Quod ^{itio in Deo} enim vis uisua est maior, eò longius se extendit. Sicut igitur oculus ^{prouenit ex} corporeus maximæ acrimoniæ in altissima specula constitu- ^{infinita vi} tus, simul uideret totam viam, & omnes in principio, medio, vel ^{oculi diuini.} fine viæ constitutos, ita oculus diuinus supra omnia temporalia & mutabilia eleuatus fertur in totum temporis decursum, & in omnia quæ per totum tempus fiunt, singula ab æterno quasi tangens, secundum loca & tempora quibus esse accipiunt. nec aliter illa uideret cum iam sunt, ^{antequam essent,} aut cum esse desierint, sed semper eodem modo illa intuetur, secundum omnem statum quem toto temporis successu habent. Quare etsi continua in rebus sit variatio, in uisione tamen illius non est vlla successio, sed summa immutabilitas. In hac uisione, quam & *præscientiam* uocamus, omnia sunt facta quæ futura sunt. *Ordo temporum*, inquit D. Prosper Sententia 57. *in æterna Dei sapientia sine tempore est, nec aliqua apud illum sunt noua, qui fecit quæ futura sunt.* In hac multi ^{Beati vel} sunt æterna beatitudine felices, & cum Christo regnantes in ^{miseri omnes} cælis, & multi econtrariò æterna ^{ab æterno in} damnatione miseri cum diabolo apud inferos, qui in seipsis nunc ^{Dei præscien-} iusti & filij. Itaque nemo uel sibi nimium fidat, uel alium contem- ^{tia.} nat: quilibet enim spectandus est & æstimandus non prout est breui tempore, sed prout est in æternitate. Multos enim amat Deus pro exiguo tempore, quos odit in æternitate: & contrà multos odit pro tempore, quos amat in æternitate.

24 Nonò considera, sapientiam diuinam plenam esse notionibus ^{Sapientia si-} & conceptibus rerum ueluti sigillis quibusdam, formandis creatu- ^{gillu rerum.} ris secundum speciem cuiusque idoneis. Sunt enim res creatæ ueluti impressiones quædam & *ἑκαστης ἰσμε* diuinæ sapientiæ. Quam ob causam Ecclesiastici 1. dicitur: *Et effudit illam* (sapientiam suam) *super omnia opera sua.* Et quemadmodum sigillum aquæ uel alteri rei fluxæ impressum, si amotum fuerit, statim forma perit: ita nisi diuinæ sapientiæ signaculum assidue formet & consignet creaturam, tota species & substantia rei euanesceat. Itaque cuiuslibet rei creatæ suum sigillum, quo eius essentia ab intrinseco assidue formetur & conseruetur, semper est intimè præfens.

CAPVT III.

*De fructu huius considerationis.**Admiratio.*

Ex his tres potissimum in nobis oriuntur affectus. Primò, Ad- 25
 mirationis, iuxta illud Psal. 138. *Mirabilis facta est scientia tua
 ex me, (supra captum meum:) confortata est, & non potero ad eam.*
 Quis enim cogitans, omnia presentia, præterita, futura, omnia pos-
 sibilia & imaginabilia; omnia quæ sunt, & omnia quæ non sunt,
 Deo perfectissimè & distinctissimè esse præsentia & in conspectu
 semper posita, nullà in ipso facta mutatione, non obstupescat; præ-
 fertim cum vnico actu, imò nullo actu elicito, sed per essentiam
 suam vitaliter hæc omnia cernat? Nascitur enim admiratio ex eo
 quòd aliquid se offerat menti nostræ, captum vel experientiam
 nostram superans. Nam tunc admiramur, cum videmus rem esse
 longè maiorem quàm antea conceperamus, vel experti eramus.
 Quare cum sapientia diuina sit infinitè maior, maximam admira-
 tionem, atque adeò stuporè in nobis excitabit, per quem fiet, vt
 homo vix sui compos dicat cum Propheta: *Vt iumentum factus sum
 apud te, & ego semper tecum.*

*Psal. 72.**Humilitas.*

Secundò, Affectus *humilitatis & annihilationis sui*, quoad cogni- 26
 tionem & sapientiam, & subiectionis intellectus in obsequium fi-
 dei in omnibus. Si enī omnis sapientia Angelorum & hominum
 quasi nihil est ad illud sapientiæ pelagus immensum, siue multitu-
 dinem & sublimitatem cognitorū spectes, siue perfectionem cog-
 nitionis, siue firmitatem & immutabilitatem; quid mea sapientia
 ad illam erit? Sanè minus quàm vnus puluisculus ad montem im-
 mensum, vna guttula ad mare infinitum; tenuis vmbra ad solis
 splendorem. Itaque non est quòd gloriemur de nostra sapientia,
 aut honorem nobis ex ea captemus; cum tota sit instar nihili co-
 ram Deo; sed querenda nobis gloria Dei; vt omnes diuinam sa-
 pientiam cognoscant, admirentur, adorent, ei quæ iudicium suum
 in omnibus subiciant, maximè in ijs quæ per Ecclesiam nobis cre-
 denda proponit. Si enim tanta est imbecillitas ingenij nostri, vt ne
 formicæ quidem naturam, formationem, indolem, vitam, ætates
 cognoscere possimus, aut alterius rei maximè obuiæ essentiam;
 quomodo poterimus de mysteriis diuinis & supernaturalibus iu-
 dicare, quæ sapientia Dei infinita nobis sola patefecit?

Causa

27 *Cui fidem
Deus exigat
à nobis.*
Causa verò eorū huiusmodi sublimia & captum nostrum excedentia à nobis credi voluerit, est: Primò, Vt captiuantes intellectum nostrum in obsequium fidei, illum totum Deo subiiciamus; & agnoscentes imbecillitatem mentis nostræ, ac diuinæ sapientiæ altitudinem, Deum sic honoremus. Secundò, Vt mens nostra sursum erigatur, & ad diuinam eleuetur. Si enim Deus non proponeret ea quæ captum humanum excedunt; mens non attolleretur sursum, sed in suo gradu & infima forte maneret, neque ad Dei visionem disponderetur: fides enim supernaturalium, media est inter cognitionem naturalem & visionem beatam. Tertiò, Quia cum vita æterna sit supra naturam, ea quoque quæ ad illam ducunt, debent naturæ captum superare. Hinc tantopere donum fidei in Scripturis commendatur, & ex diuina illustratione haberi dicitur.

28 Denique subiiciendus intellectus diuinæ sapientiæ etiam in rerum euentis & mundi gubernatione, vt credamus à Deo omnia sapientissimè fieri, nec murmuremus contra eum, si nobis aduersa, impiis prospera euenerint. Ipse enim sapientissimè omnia disponit. Quidquid enim decernit vel permittit, id facit vel vt peccata castiget, vel nos ad bonum excitet.

29 *Affectus reuerentia.*
Tertiò, Excitatur affectus summæ & assidux reuerentiæ erga Deum. Si enim omni loco & tempore omnes actiones, cogitationes & intentiones nostras intuetur; quanta reuerentia interiùs & exteriùs coram ipso nos versari oportet! Si enim qui versantur in oculis Principis, diligenter cauent ne quid committant quod oculos Principis offendere possit; quanta diligentia nobis cauendum, qui versamur in oculis tantæ maiestatis, ne quid admittamus quod ipsi displiceat? Ad hanc reuerentiam & curam sæpè nos monet sacra Scriptura.

30 *Ecclesiastici 16. Ecce calum. & cali calorū, abyssus & vniversa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commouebuntur, montes simul, & colles, & fundamenta terræ, cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur. & cap. 23. Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditis partibus. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum (id est, postquam iam creata sunt) respicit omnia. ad Hebræos 4. Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Omnia*

Pſalm. 7.
Ierem. 17.

nia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo. Loquitur de Filio Dei, seu Verbo, qui Græce λόγος dicitur, & de penetratione per intuitum & iudiciū. Hinc Deus dicitur *καρδιορῳσῆς, scrutans renes & corda*, id est, intimas cogitationes & affectiones distincte & clare intuens ac diiudicans.

CAPVT IV.

De Veritate.

SAPIENTIAE connexa est *veritas & vita.*
Veritas quid. *Veritas* generatim nihil videtur esse aliud, quàm conformitas rei cuiusque cum sua mensura & regula, per quam sic est formata vel concepta. Ideò enim hoc est verum aurum, verum argentum, vera aqua; quia secundum suam speciem est conforme & congruens suæ mensuræ infallibili, per quam sic est formatum. Hæc autem mensura est conceptio diuina, quam ideam vocamus. Concepit Deus intra se naturam auri, & vi huius conceptionis fecit illud extra se ipsi conceptioni tamquam regulæ suæ conforme, ac vale planè quale concepit. Illa congruentia & conformitas auri cum sui conceptione effectrice, est eius veritas, nec Deus aliunde de eius veritate iudicat. Si aliter se haberet quàm conceptio & notio auri in Deo requirit, non esset verum aurum, sed falsum & asfimitatum. Idem dicendum de omnibus aliis rebus à Deo formatis. Conceptio enim diuina, qua singula secundum suas species ab æterno excogitata, & in mente diuina veluti efficta sunt, est omnium mensura, omnium regula, & veluti primæuum sigillum omnibus impressum, cui omnia sunt conformia, per quâ conformitatem singula secundum suas species vera sunt & dicuntur. Hoc modo *veritas* est proprietas entis creati, sicut & *bonitas*: cuius ratio consistit in eo, quòd omnia secundum suam speciem sint congruentia ad finem ad quem à Deo sunt instituta, qui potissimum est, declarare potentiam, sapientiam, bonitatem, & ceteras perfectiones sui Conditoris. Sicut enim omnis res dicitur *vera* ex conformitate ad suam causam exemplarem, ita dicitur *bona* ex congruentia ad suam causam finalem. Nec refert quòd nomen *veri* & *boni* ex hac consideratione rebus fortè non sint ab initio imposita, & alia etiam ratione res veræ & bonæ dici possint: nos enim de primaria veritate & bonitate rerum loquimur.

Con-

32 Considerandum etiam est, unicam in singulis rebus esse *veritatem*, sicuti est unica species, & unicum exemplar cuiusque, cui res quaelibet conformatur. Est tamen multiplex in rebus *bonitas*; quia res quaelibet deseruit ad multos fines inter se subordinatos, qui tamen omnes ad vnum finem vltimum, nimirum gloriam Dei, reducuntur. Præcipua tamen bonitas rerum, à qua potissimum bona dicuntur, est ex ordine & congruentia ad finem vltimum. Quò enim quaelibet res magis valet ad perfectiones diuinas declarandas, eò est præstantior, & entitatiuè melior.

Præcipua bonitas, ex ordine ad finem vltimum.

33 Ex his obiter colligimus cur tantum sint duæ proprietates entis positivæ, *verum & bonum*. Dico *positivæ*, quia *vnitas* supra rationem entis nihil dicit, nisi diuisionis negationem. *Vnum* enim est res in se indiuisa, ab aliis omnibus diuisa. Ratio igitur cur duæ tantum sint, est, quia tres tantum sunt habitudines rebus omnibus communes ad causam vniuersalem omnium. Prima est, tamquam ad causam primam effectricem à qua omnia accipiunt esse, ratione cuius dicuntur entia. hæc habitudo est prima & fundamentalis. Secunda, tamquam ad causam exemplarem, secundum quam effectæ sunt. hæc habitudo dicitur *veritas*. Tertia, vt ad finem vltimum, quæ dicitur *bonitas*. Non poterant autem hæc proprietates aliter in rebus poni, quam ex ordine ad istam causam, quæ est Deus; tum quia nulla est alia à qua omnia dependentiam habeant, tum quia omnis habitudo ad alia, verbi gratia ad intellectum & voluntatem creatam, est posterior ratione veri & boni. Non enim ideò res sunt veræ, quia intelligibiles; nec ideò bonæ, quia amabiles: sed contrà hæc denominationes veritatem & bonitatem rerum conse-

Cur duæ proprietates entis.

34 quuntur, tamquam posteriores. Secundum hanc considerationem opera bona in Sacris literis dicuntur *veritas*, seu vera (abstractum enim pro concreto accipitur idiotismo Hebraico) & qui bene operatur, dicitur *facere veritatem*: quia sunt conformia suæ regulæ, nimirum legi æternæ. Econtrariò, opera mala vocantur *mendacium*; & qui ea facit, dicitur *facere & operari mendacium*, qui commendat & suadet, *loquitur mendacium*: quia dissident à regulâ operationis & vitæ humanæ.

Ioan. 3. 21.
& cap. 8. 44.
Ezech. 4. 15.
Psal. 4. 3.
Ierem. 8. 10.
Apoc. 21. 27.
& c. 22. 15.

35 Aduerte tamen, ea quæ diximus, intelligenda esse de Veritate & Bonitate, vt sunt proprietates entis creati: nam longè eminentiori ratione hæc denominationes Deo conueniunt. Ipsi enim *veritas* non consistit in conformitate naturæ ipsius cum suo exemplari (nullum enim est tale exemplar) sed in eo quòd eius natura

fit talis, quæ debeat esse omnium exemplar & mensura: & ipsius *bonitas* non est sita in conuenientia & ordine ad aliquem finem, sed in eo quòd ipse sit tantæ excellentiæ, vt debeat esse omnium finis.

Veritas cognitionis.

36 Alio modo accipitur *veritas* strictius, vt propria est cognitioni & iudicio, & sic nihil est aliud quàm conformitas cognitionis cum obiecto, tamquam cum sua mensura; nempe cum res talis iudicatur, qualis ipsa in se est. Hæc conformitas sicut in rebus nihil reale aut formale addit earum entitati, ita in cognitione nihil addit entitati cognitionis. Omnis enim noticia hoc ipso quòd attingit suum obiectum, est conformis obiecto, ac proinde vera. Attingit autem obiectum præcise per seipsam & suam entitatem, nullo ei superadito; nam hoc ipsum constituit eius naturam & rationem specificam. *Veritas* igitur cognitionis, nihil est aliud quàm ipsa cognitio, quatenus attingens obiectum, eique conformis. Porro hæc *veritas* vocatur *veritas formalis*, illa verò *obiectiua & fundamentalis*: quia *veritas* rerum est fundamentum & obiectum *veritatis*, quæ est in cognitione creata.

Deus est summa veritas.

37 Quocumque autem modo *veritas* consideretur, Deus est summa & prima *veritas*, & plenitudo *veritatis*. Est enim *prima veritas obiectiua & fundamentalis*, quia est sua essentia, quæ est primum & summum obiectum intelligibile inter omnia intelligibilia, & prima supremaque mensura omnium mensurabilium; & in ipsa omne intelligibile & omne mensurabile, eminentissimè tamquam in abyssu omnis *veritatis*; & prima ratione determinatrice & modificatrice omnium, continetur.

38 Est prima & summa *veritas formalis*, quia est sua sapientia omnem sapientiam infinitè superans: imò est ipsa vniuersitas & plenitudo sapientiæ, in qua omnis sapientia, omniisque *veritatis* notio eminentissimè est collecta, quæque omnem *veritatem* obiectiuam perfectissimè & distinctissimè attingit & penetrat. Oritur hæc *veritas formalis* in Deo nostro modo, concipiendi, à *veritate obiectiua* essentia; quia hæc est mensura diuine sapientiæ: & *veritas sapientiæ* consistit in conformitate & adæquatione cum essentia, & consequentes cum omnibus quæ in illa eminenter continentur.

Omnis veritas ab hac descendit.

39 A *veritate diuine sapientiæ* descendit omnis *veritas* in creaturas, idque dupliciter. Primò per creationem: quia per sapientiam conditæ sunt & formatæ, & in conformatione cum illa sapientia & arte diuina consistit earum *veritas*. A rebus transit vltèrius *veritas* in nostram cognitionem, quia *veritas* rerum est *veritatis* nostræ cogni-

cognitionis mensura & origo. A nostra cognitione transit in nostros affectus & mores, quatenus hi iudicio prudentia & noscitur diuina legis conformantur. Denique in nostros sermones & scripta, quatenus sermones sunt signa conceptuum animi, & scripta sermonum. In his ergo cernitur solum veluti extremum veritatis ἀπὸ τοῦ θεοῦ, & resurgens quoddam umbratile vestigium. Secundo descendit veritas à Deo in creaturas per reuelationem & illustrationem diuinam; hæc enim veritas non est hausta ex obiectis, sed directe per infusionem luminis communicata. Hoc modo veritas fidei & visionis beatæ ad nos deriuatur.

40 In rebus quæ non sunt actu, non est proprie veritas, sed potest esse. Ante mundum conditum homo non erat in se verus homo, nec vera substantia, aut verum ens, sed solum poterat hæc esse; id est, illi conceptui obiectiuo, qui apprehenditur formali notione hominis, non repugnabat esse verum hominem, veram substantiam, verum ens. Idem dicendum de omnibus aliis rebus creatis. Hæc enim omnia nihil erant, nisi conceptus obiectiuus, seu rationes conceptibiles non habentes vllum esse actu, nisi in intellectu diuino, & per notiones ipsius æternas quibus apprehendebantur & formabantur: totumque esse illorum nihil aliud erat quam intelligi, intellectu fingi & formari.

*Quomodo
veritas in
possibilibus.*

41 Duplici tamen ratione dicebantur posse esse, seu esse res possibiles. Primo, quasi intrinsecè, seu à potentia intrinseca, quæ nihil aliud est quàm non-repugnantia, per quam uti nihil sunt, & nihil entitatis habeant; esse tamen, & veram entitatem ac speciem habere, ipsis non repugnat. Secundo, per denominationem extrinsecam à potentia & sapientia diuina, per quam possunt in esse & speciem produci. Itaque sicut in istis non est entitas actualis, sed solum possibilis, ita nec est veritas actualis, sed possibilis. Sed & hæc tota, quantula est, pendet à veritate diuina. quod enim conceptus obiectiuus rerum, seu res quæ dicuntur possibiles, possint esse vere res, & habere veram entitatem & speciem, prouenit ex eo quod essentia diuina illis modis sit imitabilis, & diuina potentia per suam sapientiam qua eas concipit, possit eas sic facere & formare.

*Duplici
ratione dicuntur
possibilia.*

Ex his patet, quomodo à prima veritate, tamquam fundamento & radice, omnis veritas pullulet, & ad alia omnia siue existentia siue non-existentia deriuetur: quomodo item diuina sapientia omnis veritatis obiectiuæ quæ est in creatis, sit mensura: denique, quomodo omnis veritas formalis, quæ est in creatis, ab ea descēdat.

*Res futuras
non esse men-
suram pra-
sientia.*

Neque his obstat, quòd cognitio intuitiua Dei, quatenus ad ⁴²
creaturas se extendit, ab illis quodammodo pendere, & veritatem
haurire videatur: quia veritas diuinæ intuitionis, seu conformitas
eius cum obiectis creatis, non prouenit ab ipsa rerum euidencia vel
efficacia, quam habeant ad mouendum intellectum diuinum, &
formandam in ipso cognitionem; sed ex vi comprehensionis ef-
sentia. Cognitio enim diuina ex vi terminationis ad essentiam,
terminatur vltèrius ad omnia possibilia; & ex vi terminationis ad
possibilia, terminatur ad omnia existentia eo ipso quo aliquando
sunt euentura. Itaque existere rerum, non est causa aut mensura
vnde veritas visionis diuinæ pendeat, sed est solùm conditio sine
qua non ita terminaretur: ac proinde sola essentia est mensura to-
tius diuinæ cognitionis respectu omniū obiectorum. hinc enim
omnis eius veritas & certitudo pendet. Vnde tam est impossibile
Deum falli circa rem minutissimam (verbi gratia, circa cogitatio-
nes aut intentiones cordis humani, & minimas eius circumstan-
tias) quàm est impossibile illum falli circa propriam essentiam.

CAPVT V.

De Vita.

Vita quid,

VITA dicitur & substantia vitalis, vt est anima & natura An- ⁴³
gelica; & operatio vitalis, quæ nimirum in operante à quo
emanat, remanet: qualis est intelligere, amare, sentire, appetere, se
mouere.

*Quomodo
Deus sit vi-
ta.*

Vtroque modo Deus est vita (semotis imperfectionibus nec
solùm vita, sed prima vita, & æterna vita, & ipsa vitæ plenitudo ac
vniuersitas, omnis vitæ origo & consummatio, principium & finis;
in quo etiã omnia quæ non viuunt, vita sunt. Ipse enim est su-
pervitalis essentia, & superessentialis vita, omnem vitalem sub-
stantiam intra se eminentissimè & simplicissimè præhabens, &
causaliter complectens, & extra se quamlibet iuxta suam spe-
ciem formans, conseruans, & perficiens. Ipse est sua vitalis opera-
tio, nimirum sua intellectio, suus amor, suum gaudium, sua beati-
tas. Ex illo superuitali fonte omnia quæ aliquo modo viuunt, vi-
tam hauriunt, & vitales facultates motusque ardescunt, alia præ-
stantiores, alia minus præstantes, iuxta gradum cuiusque & ordi-
nem. Inde vita omnis & plantarum & animalium, & hominum &
dæmo-

dæmonum & Angelorum, omnis vita naturalis & supernaturalis, huius sæculi & futuri, temporalis & æterna. Denique, sicut ipse est omnium existentium esse superessentiale, ita omnium uiuentium vita superuitalis, ut Dionysius cap. 6. De diuinis nominibus ait.

- 44 Tribuitur Deo *vita* maximè ratione intelligentiæ & sapientiæ: hæc enim est prima & suprema vita, seu vitalis operatio, à qua omnis alia vita procedit. A sapientiâ enim manat amor: per hæc autem cetera omnia sunt condita & formata. Deinde in ipsius sapientiâ omnia uiuunt: ipsum enim intelligi, & intellectu formari, est quoddam esse & vita intelligibilem; & intellectio rei, est ipsa res modo intelligibili. Itaque sapientiâ diuinâ est omnium vita, & per eam Deus sibi & omnibus uiuit, & omnia ipsi uiuunt, & adsunt, & splendent, & immutabiliter in ipso perseverant ex omni æternitate in omnem æternitatem.

Conuenit
Deo ratione
sapientiæ.

CAPVT VI.

Recollectio precatoria, de Sapientiâ.

- 45 **I**LLUMINA oculos meos, Lux primæua; dissipa tenebras animæ
meæ, Sol æternæ. *Emitte lucem tuam & ueritatem tuam, ut me
deducant & adducant in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.* Psal. 42.
Tu enim omnis lucis & intelligentiæ origo, omnis mentis & sensus
auctor. Sine tua irradiatione omnia in tenebris & nocte ignoran-
tiæ sepulta iacent: omnes artes & scientiæ, tenues sunt adumbra-
tiones tui: tota sapientiâ Angelorum, scintilla quædam exigua in-
finitæ lucis tuæ.
- 46 Tu fons omnis pulchri & amabilis, omnis formæ & speciei, om-
nis ordinis & proportionis, omnis congruentiæ & concordiæ, om-
nis sympathiæ & antipathiæ. Tu omnibus in rebus naturam &
speciem finxisti, & in omnium rerum partibus consensum & ana-
logiam, numerum & ordinem, mensuram & modum statuisti. Tu
primæuum signaculum omnium, omnia penetran- puritate & Sap. 7.
subtilitate tua, intrinsecus formans pariter & disponens omnia in
omnibus.
- 47 Et quamuis attingas à fine ad finem, à summis ad extrema, teque Sap. 8.
in omnia inferas; non tamen permisceris alicui, nec ullius tactu
inquinaris, sed in tuo nitore & sinceritate persistas. Infiniti sunt pro- Sap. 7.
cessus tui, quibus ad creaturas tuas vel formandas, vel illuminan-
das.

das descendis, & super eas effunderis; & tamen in tua immutabili idemitate, supra omnia creata, firmiter fixa perseveras. Innumera-
bilia nobis per seruos tuos locuta es, & innumeris te modis & for-
mis patefecisti mentibus hominum; & tamen vno simplicissimo-
que conceptu perficis omnia.

Omnium es auctor & artifex, omnium exemplar, mensura, & 48
finis. Nec solum eorum quæ sunt, & iam exterius speciem à te sibi
impressam acceperunt, siue inuisibilia ea sint, siue visibilia, fictor
es, sed etiam eorum quæ non sunt, & tua omnipotètia fieri possunt,
quæ infinities plura sunt. Omnia enim hæc excogitasti, & apud te
formasti ante sæcula, & retines in conspectu tuo, quamuis ea num-
quam foris extra te condere decreueris: sicut magnus quispiam ar-
chitectus multas palatiorum formas excogitat, menteque retinet,
quibus apud se gaudet & triumphat, quamuis ea numquam ex-
struere foris statuerit.

*In oculis di-
uini sapien-
tia non mi-
nus lucent
possibilia
quam ex-
istentia.*

Hæc omnia apud te summè perfecta existunt, & lucent ab æter- 49
no coram te (non minùs quàm quæ exterius condidisti) circumfu-
sa lumine tuo, singula in specie & ordine suo: iisque gaudes &
triumphas in luce tua inaccessibili, vbi ea possides. Ibi corrumpi
non possunt, non veterascere, non offundi tenebris, non excide-
re tibi; sed in eodem semper splendore immutabilia & æterna
persistent.

O admirabilem sapientiam cui omnia præterita & futura sunt 50
præsentia, cui omnia temporalia sunt æterna, cui omnia insensibi-
lia & mortua viuunt; cui omnia quæ non sunt, existunt; quæ to-
tam simul ambit æternitatem, quæ omnem exhaurit infinitatem,
quæ vniuersam intra se capit immensitatem! Omnia intra te æter-
num esse habent, & æternam vitam, initio & fine carentem, &
prorsus immutabilem. Habent quidem singula in seipsis esse
quoddam sibi intrinsecum, siue actu, siue potestate, sed hoc in re-
bus creatis habet initium, estque mutabile, neque non-viuentibus
vitam tribuit. Verùm, præter hoc esse quod in seipsis obtinent, ha-
bent in diuina mente & sapientia tua esse quoddam extrinsecus
veluti infusum, sempiternum & immutabile. Intelligere enim, est
quoddam intelligibile esse, per quod in mente veluti in spiritali
quodam mundo existunt, splendent, & viuunt. Sapientia igitur tua,
est omnium intelligibile esse, & vita, & lux, iuxta illud, *Quod
factum est, in ipso vita erat*, vt S. Augustinus & multi Sanctorum
intelligunt.

Ioan. 1.

In

51 In diuina essentia sunt omnia tamquã in primordiali rerum fundo & fundamento ; in potentia vt in causa effectrice ex nihilo ; in sapientia formaliter & obiectiue , & velut in causa exemplari. Sapientia primò in essentiam conuersa , eam omnino comprehendit , se illi exæquans , & prorsus commens. Ex vi huius comprehensionis sequitur immediatè omnium possibilium conceptio seu effectio : ex hac , omnium operum & effectuum , quæ à creatura tam possibili quàm existente fieri possunt , distincta notitia : hinc omnium eorum quæ quauis hypotheti futura essent , clara intuitio : denique omnium reipsa vel præsentium , vel præteritorum , vel futurorum æterna visio. Hoc modo & ordine sapientia tua in quinque velut sphaeras obiectorum & intelligibilium præcedit , & quidquid attingit reliquorum , ex vi comprehensionis essentia attingit , quæ omnium possibilium ratio prima est & fundamentum. Itaque in te non solùm vniuersitas sapientia & intelligentia , sed etiam vniuersitas obiectorum & intelligibilium.

52 Tibi gloria , plenitudo lucis , plenitudo veritatis : tibi gloria ab omni creatura , & supra omnem creaturam apud teipsam , vbi clara & consummata excellentia diuinæ notitia. Splendet quidem excellentia tua in mentibus Angelorum & Sanctorum , estque hic splendor gloria quædam tua ; verùm infinite clariùs splendet in sapientia tua : sicut infinita lux clariùs lucet quàm scintilla modica. Ibi ergo sapientia laudet animam suam , ibi glorificet se ; & omnis creatura congaudeat & congratuletur illi ; laudet , benedicet , & glorificet illam. Non eges gloria & laude nostra : infinita claritati per scintillam nulla fit accessio. Sed hæc profunt nobis. Nosse enim & laudare te , summum bonum nostrum , & vita æterna est.

M DE